



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Instrvctio R.P. Ignatii Balsamonis Societatis Iesu,
Theologi. De Perfectione Religiosa, Et De Vera Recte
Orandi & meditandi methodo**

Balsamo, Ignazio

Coloniæ Agrippinæ, 1612

Methodus præparandi se ad professionem faciendam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48888](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48888)

conscientiam grauantia, in principio confessionis exponet. Tentationes quoque grauioreſ ſi quas habuit, non reticebit. De tota verò hac confitendi ratione vt melius inſtruatur, R.P. Coſteri Inſtitutiones præleget, vbi nonnulla, quæ ei magno adiumento eſſe poterunt, reperiet.

Methodus præparandi ſe ad Professionem partim faciendam, partim renouandam.

CLarum atque perſpicuum eſt, ad omnem actionem ritè peragendam, præparationem atque diſpoſitionem cum primis eſſe neceſſariã; maximè verò ad ſuſcipiendam gratiam & dona Dei, nam idcirco Propheta nos admonet, dicens *Præpara te corda veſtra Domino*. Quantò autè opus ipſum maioris eſt momenti, tantò diligentioreſ exigit præparationem. Ac propterea cum ſolenis Religioſi profeſſio, qua votis conceptis ſe Deo ſolenniter obligat, tanti ponderis ac momenti ſit, quãti nulla alia in Religione aut mundo actio,

actio, oportebit eum omne huc studium, omnesque cum animi tum corporis vires conferre, ut eam, quoad fieri potest, perfectissime ad maiorem Dei & Creatoris sui laudem & gloriam faciat.

Id autem ut fiat, vna ante diem professionis hebdomada, ab hominum confortio & congressu penitus abstinabit, atque in cella reclusus, omnia alia negotia, ut minimum externa seponet, ut sanctae ac necessariae huic preparationi se totum libentius dare valeat. Ibi vero constitutus quatuor haec aget. Leget, meditabitur, ad confessionem generalem se parabit, & mortificationibus seu austeritatibus quibusdam insolitis carne affliget: intellige, cum facultate & consensu eorum, quorum cura commissus est.

I. Itaque ad lectionem quod attinet, praeter alios libros spirituales, summa cum attentione leget atque examinabit formulam votorum siue promissionum quibus se Deo obligaturus est: Deinde Regulas & constitutiones ordinis sui. Viam denique

primi institutoris & Patriarchæ eiusdem Ordinis: Non abs re quoque faciet, si prædictam formulam memoriæ commendauerit, vt ea postea, quoties opus fuerit, in votorum renouatione vti possit, quemadmodum superius dictum est.

2. Quoad meditationem & orationem, commendabit se totum ex intimo animi sensu DEO, illiusque gratiam & cæleste lumen ad cognoscendam vocationem suam, perficiendamque sanctissimam eius voluntatem, instantissimis precibus flagitabit. Meditationes verò & considerationes ad hunc scopum maximè accommodatæ possunt esse, de beneficio vocationis, de votis, de antea acta vita, & peccatis tum in sæculo, tum in Religione admissis.

3. Præparabit se ad confessionem generalem vel de tota antea acta vita, vel vt minimum ab vltima confessione generali, faciendam; quã postea summo cum animi dolore & vitæ in melius commutandæ desiderio absoluet.

4. Vt

4. Ut autem omnia hæc rectius fiât, adijciat austeritates, mortificationes, & pœnitentias nonnullas corporales, quarum ei facultatem superior, cuius consilio non aliter ac Dei voci obtemperabit, permiserit.

*Meditationes de beneficio
vocationis.*

VT beneficij vocationis excellentia cognoscatur, ad quod Apostolus huiusmodi verbis nos cōmonefacit. *Videte, inquit, fratres* 1. Cor. 1. *vocationem vestram*, post inuocatam suppliciter Spiritus sancti gratiam prece aliqua vocali aut mētali; quinque hæc consideranda sunt.

Vnde, nimirum vocatus sim, quò, quomodo, quando, & quem in finē, quæ singula sequenti documento latius explicabuntur.

Ad clariorem porro eiusdem beneficij notitiam, non parum proderit, mente reuoluere, nouem priuilegia singularia, quibus Deus quemlibet religiosum afficit & ornat, quæ ibidem reperies.